

dam *V* non debere dici in festis sanctarum virginum et viduarum; et per tertiam *C* non debere dici in festis sanctorum confessorum, nisi sint doctores Ecclesiae, et nisi praedicti omnes sancti et sanctae sint fundatores ordinis, patroni aut titulares ecclesiae seu in ipsa ecclesia habeatur eorum insignis reliquia, aut nisi talia festa venerint in Dominicis, et infra octavas festorum Symbolum habentium, ut recte ex aliis notat Merati, *loc. cit.*, n. 8 in fine. Et ratio est, quia ut docent Alexander Alensis, q. 10 *De sacrament. Eucharistiae*, § 9; Quarti, p. 1, tit. 11, *De Symbolo*, vers. *Ex quibus*, et alii, de ipsis nulla fit mentio in Symbolo, neque in ipsis locum habent motiva, quae de aliis in dicta Rubrica *De Symbolo* exceptis occurrunt.

(24. Prima enim ratio seu motivum cur dicatur *Credo* in variis ex ibi assignatis festivitatibus est, quia de ipsis fit aliqua mentio in dicto Symbolo, ut tradunt Innocentius III, *De mysteriis missae*, lib. II, c. 51; sanctus Thomas, III p., qu. 83, art. 4; Durand., lib. IV, cap. 25; Quarti, *loco cit.*, vers. *Prima ratio*; Gavanti, et Merati, *loco cit.*, Rubrica *De Symbolo*, et alii passim. Et ob id dicitur in omnibus Dominicis, quia dies Domini dedicati sunt in memoriam resurrectionis Christi et cultum sanctissimae Trinitatis, de quibus mysteriis fit mentio in Symbolo; quae ratio militat de omnibus festivitatibus Domini, de quo principaliter fit mentio in ipso Symbolo; sicuti fit de B. V. Maria, ac etiam de angelis indicatis per ly *Invisibilium*.

(25. Secunda ratio seu motivum cur dicatur *Credo* in aliquibus aliis ibi enumeratis est, ut docent S. Thomas, *loc. cit.*; Quarti, *loco cit.*, v. *Secunda ratio*, et, ipso teste, alii communiter, quia ipsi sancti vel primo Symbolum composuerunt, vel egregie fidem in eo contentam propagarunt praedicatione et doctrina; et ideo dicitur in festis apostolorum et evangelistarum; item in festo S. Mariae Magdalene, quae ex Innocentio III, *loc. cit.*, fuit apostolorum apostola. Item in solemnitatibus creationis et consecrationis summi Pontificis, et consecrationis episcoporum, quia ipsi sunt successores apostolorum; et in festis insigniorum doctorum, quia singulari sua praedicatione et doctrina plurimum fidem in Symbolo contentam propagarunt.

(26. Tertia ratio seu motivum tandem cur dicatur in reliquis aliis est, ut volunt Alexander Alensis, *loc. cit.*; Quarti, ver. *Tertia ratio*; Gutierrez, lib. III, cap. 28, quæst. 3; Merati, *loc. cit.*, nu. 4, et alii, quia tales sancti ob excellentiam auctoritatis, seu ratione solemnitatis, vel ob jus speciale in aliquam Ecclesiam aut locum hoc honore dignantur, ut eorum missae votivae solemniter pro re gravi aut pro publica Ecclesiae causa celebrentur; et ob id dicitur *Credo* in festo patroni et titularis ecclesiae, dedicationis seu consecrationis ejusdem, in festis fundatorum ordinum, ac in festis illorum, de quibus in ecclesia habentur insignes reliquiae.

(27. In festo S. Joannis Baptistae, quamvis sit primae classis et cum octava, non dicitur *Credo*, quia sanctus Joannes Baptista figurat legem veterem, et consummavit cursum ante promulgationem Evangelii et institutionem Symboli, ut tradit Quarti, *loc. cit.*, vers. *Opponi posset*; et in simili Durandus, lib. VII, cap. 14, n. 8 et alii. Quae ratio militat etiam pro festo S. Joseph, et aliis similibus. In festo autem S. Laurentii martyris, quamvis sit secundae classis et cum octava, non dicitur *Credo*, quia in ipso non habent locum supra assignatae rationes, et motiva dicendi Symbolum, nec adest ad id praxis, ac legitima consuetudo, cum potius universalis ecclesia in ejus festo illud omittat, sicut illud omittit in festis S. Stephani et sanctorum Innocentium, si caderent extra octavam Nativitatis Domini, sicuti de facto omittitur in die octavae Innocentium currentis extra dictam Octavam.

(28. In missa patroni minus principalis non debet dici *Credo*. Sac. Rit. Congr., in *Beneventan.* 2 Decembris 1634, et in *Lycien.* 15 Septemb. 1691.

(29. Sola ratione SS. sacramenti expositi non est dicendum Symbolum in missis privatis. Sac. Rit. Congr., in *una Canonico. Regul. Lateran.* 2 Decemb. 1684. Et idem statuitur in Instructione Clementis XI et XII pro expositione SS. Sacramenti occasione 40 horarum § 10.

(30. Dum in missa solemniter canitur *Credo*, non debent pulsari organa. Concil. provincial. Mediolanens. tert. apud Gavanti, in *Manual. episc.*, ver. *Missae conventualis* sub n. 22, ibi: « Symbolum totum canatur a choro, non alternatim cum organo. » Sic etiam *Ceremonial. episcoporum* lib. I, cap. 28, ac *Ceremonial. ordinis Minor.* part. IV, c. 9, quod tamen, *ib.*, n. 7, subjungit: Quod si numerus cantorum seu Fratrum sit modicus, poterit alternatim cantari a choro et organo sonante, duo cantores legant alta et intelligibili voce, quae a choro non cantantur, ut sequitur ac docet etiam Simon Buongiovanni, in *Sacrarum Ceremoniarum Silva*, lib. II, cap. 10, vers. *Quod si*. In hoc enim casu subintrat necessitas, quae facit licitum, quod alias est illicitum, cap. *Quod non est illicitum* 4, De regul. jur., cap. *Omnes* 1, De fer., cap. *Consulisti* 3, De celebr. missar. cum non subiaceat legi necessitas, cap. *Consilium* 2, De observat. jejun., cap. *Sicut* 11, De consecration., dist. 1, cum multis similibus. Celebrans autem, dum canitur *Credo*, non potest prosequi missam. Sac. Rit. Congr. in *Beneventana* 13 Septembr. 1670, et in *Januen.* 17 Decemb. 1695.

(31. Symbolum in qualibet missa, etiam pro defunctis, recitatur a Graecis, eumque morem servari a monachis Ordinis S. Basilii jubet Benedict. XIV constitutione incip. *Quem religioni sensum*, § 6. Symboli recitatio in missa a Graeca ad Latinam Ecclesiam traducta est. Idem Constitut. incip. *Allatae sunt*, § 28. (32. Symbolum idem sine additamento *Filioque* a Graecis et Orientalibus quandoque recitari permisit Apostolica Se-

des, quandoque vero hanc facultatem denegavit, prout diversae facti circumstantiae exegerunt. Idem, *ibi.*, § 10. (33. Symbolo autem Nicæno non solum licuit, sed et deicit superaddere particulam *Filioque*. Hinc non modo Patres concilii *Zamosch.*, tit. 1 *De fide Catholica*, sed etiam Patres concilii

SUMMARIUM.

1. *Syndicus* Graece idem est ac Latine *defensor*. — 2. *Syndicus* proprie acceptus quid sit. — 3. *Syndicus*, quamvis generaliter acceptus conveniat cum procuratore generaliter accepto, tamen proprie et stricto acceptus distinguitur a procuratore proprie dicto et accepto, et quare. — 4. *Syndicus* proprie captus distinguitur etiam ab actore, et quare. — 5. *Syndicus* proprie captus distinguitur etiam ab administratore seu oeconomo, et quare. — 6. *Syndicus* quomodo sit constituendus? — 7. Consultius est, ut religiosi pro causis sui monasterii non sint ipsi *syndici*, sed potius aliquem extraneum procuratorem generaliter, seu *syndicum* constituent. — 8. Attamen, exigente utilitate sui monasterii, possunt religiosi ipsi esse *syndici*. — 9. In ordine Minorum ex concessione plurimorum Pontificum pro unoquoque conventu constituitur unus *syndicus* Apostolicus. — 10. Sed prius concesserunt Nicolaus III et Clemens V, et quomodo. — 11. Deinde ad facilius et commodius esse, specialem pro unoquoque conventu concesserunt Martinus IV et V, ac Paulus IV. — 12. Haec secunda concessio non est contraria primae, et hi speciales *syndici* parificantur cum substitutis dantur seu donantur. — 13. Horum *syndicorum* usus nullatenus repugnat observantiae puritatis Regulae, nec est dispensatio in ipsa. — 14. Modus utendi *syndico* ad praescriptum Martinianae et Paulinae est facilius et tutior pro unoquoque conventu; imo non habens hujusmodi *syndicum* ponit se in periculo transgrediendi Regulam. — 15. *Syndici* Apostolici deputantur pro toto ordine a generali; pro provinciis, ac custodiis, ac conventibus sibi subjectis a provincialibus, et respective custodibus; vel etiam a guardianis de expressa praetoratorum licentia. — 16. Etiam procurator et commissarius generalis Curiae Romanae possunt *syndicos* pro ipsorum respective officio deputare. — 17. Non possunt a dictis superioribus deputari plures *syndici*, sed unus duntaxat pro unoquoque conventu. — 18. Unus *syndicus* potest deputari etiam pro hospitio habente suum praesidem, et unus a superiore generali pro religione et a provinciali pro provincia. Quod idem currit pro infirmariis rectis distincto regimine ab illo conventu. — 19. Non possunt autem dicti superiores deputare alios *syndicos* pro religiosis particularibus. — 20. Imo fratres privati nec de licentia superiorum possunt habere apud *syndicum* conventus pecunias a massa communi separatas. — 21. Nec frater particularis sine vera necessitate et licentia superioris, potest uti pecunia sponte deposita pro ipsius indigentibus ab amico spirituali apud *syndicum* tanquam suum substitutum, et retento sibi dominio. — 22. Posita tamen vera necessitate et negligentia superioris, in ministrando necessaria, potest frater subditus, nedum in tale depositum sponte oblatum consentire, sed suis indigentibus providere, etiam per recursum ad amicos spirituales, dummodo servet modificationes per de-

(1. *Syndicus* Graece idem est ac Latine *defensor*. Sic notant communiter doctores in c. *Sicut studii* unic., De *syndico*. (2. Unde *syndicus* proprie acceptus est ille, qui consti-

Libanensis part. I, cod. tit. 11, provide ac recte statuerunt ut sacerdotes omnes eorum legibus subjecti Symbolum juxta consuetudinem Romanae Ecclesiae, cum particula *Filioque* usurpent. Idem, *ibid.*, § 60.

(34. Alia ad rem. Vide verb. *Missa*, art. 12 et 13.

SYNDICUS.

clarationes Pontificias praefinitas. — 23. Quanam autem sint dictae Pontificiae modificationes observandae, et pro quibus necessitatibus possit a Fratribus pro pecunia haberi recursus ad amicos spirituales? *remissive*. — 24. Bona *syndici* sunt tacite hypothecata pro securitate eleemosynarum, et ex ejus bonis debet damnum a se causatum reparari. — 25. Habet ad id novus *syndicus* actionem contra *ex-syndicum* et ejus haeredes. — 26. Coram quo *syndice* possit et debeat ad id conveniri. — 27. *Syndicus* Apostolicus debet admitti in concursu creditorum adversus *ex-syndicum* decoctum, vel ejus haeredes, et adversus alios veros debitores. — 28. Possunt conventus praeter *syndicum* habere etiam substitutum, et etiam plures, prout opus fuerit: substituti autem seu substitutorum deputatio fieri debet a *syndico*, et non a Fratribus, ad n. 29. — 30. Non possunt Fratres a *syndicis* computus juridicos exigere. — 31. Possunt tamen generales et provinciales, quoties eis opportunum videbitur, dictos *syndicos* removere, aliosque subrogare seu constituere. — 32. Sine dicto procuratore vel substituto nihil emi aut vendi potest; nec *guardianus* eleemosynas pecuniarias tenere potest in manu alterius, nisi in manu *syndici* vel substituti de ejus licentia. — 33. *Syndici* Apostolici, seu procuratores Fratrum Minorum amplissimam habent facultatem, quae assignatur. — 34. Non possunt tamen alienare mobilia pretiosa ecclesiae incorporata sine beneplacito Apostolico; nec alias res vendere sine praevia affixione edictorum, ut venditio fiat majori oblato. — 35. *Syndici* Apostolici gaudent privilegio fori in causis civilibus, criminalibus et mistis, motis et movendis. Et affertur ad id constitutio Clementis VII. — 36. Affertur etiam constitutio Innocentii XI, qua confirmantur in forma specifica decreta variarum sacrarum congregationum emanata super exemptione praefatorum *syndicorum*. — 37. Dicti *syndici* Apostolici non possunt compelli ad exercenda munia publica communitatis, nec conveniri, nisi coram *syndice* conservatore. — 38. Tales *syndici* gaudent privilegio fori sunt exempti a repraesaliis. — 39. Subnectuntur hic varia decreta sacrae congreg. Immun. ad rem facientia, usque ad n. 60. — 61. Unus tantummodo *syndicus* pro unoquoque conventu gaudet praedictis Apostolicis privilegiis. — 62. *Syndici* Apostolici in praesenti tenentur ad onera communitativa. — 63. Ecclesiastici assumpti in *syndicos* Apostolicos non sunt exempti a jurisdictione ordinarii. — 64. *Syndici* Apostolici non comprehenduntur in decreto, quod saeculares non pernoctent in conventibus Fratrum Minorum. — 65. Solum *syndico* Apostolico, et non Fratribus Minoribus de Observantia, seu Reformatis, licet exigere in *syndicio* legata. — 66. *Syndicus* Apostolicus nequit habere dominium et possessionem census relicti dictis Fratribus. Nec dicti Fratres nomine *syndici* possunt retinere bona stabilia, census aliosque annuos redditus. — 67. Dictus *syndicus* in concernentibus correctionem morum, non est exemptus a jurisdictione ordinarii.

tuitur ab aliqua universitate seu collegio; vel capitulo ad negotia illius pertractanda, ac potissimum ad causas et lites illius in *syndicio* persequendas. Sic in re Commu-

nis, per text. et Gloss. in cit. c. *Sicut studii*, verb. *Generaliter*, et l. *Neque societas* 1, § 1, ff. *Quod cujuscunque universitatis nomine, vel contra eam agatur*.

(3. Syndicus, quamvis generaliter acceptus, conveniat cum procuratore generaliter accepto, cum nomen procuratoris generaliter acceptum etiam Syndicum sub se complectatur, arg. c. *Salvator* 8, vers. *In nomine*. caus. 1, qu. 2, c. *Quia in causis* 7, et c. *Petitio* 9, De procuratoribus, tamen proprie et stricte acceptus distinguitur a procuratore proprie dicto, quia hic constituitur a quocunque privato domino et in causis privatis, syndicus vero ab universitate, collegio, capitulo, et in causis publicis et communibus, ut colligitur ex c. *Petitio* 9, De procuratoribus, et notant Abbas in cit. cap. *Sicut studii* unic., De syndic., n. 2, Engel, lib. 1 *Decretal.*, tit. 39, n. 1; Pirrhing, *ib.*, n. 1, Reiffenstuel, *ib.*, n. 3, et alii passim.

(4. Syndicus proprie captus differt etiam ab actore, quia actor constituitur specialiter ad unam causam vel ad plures, sed tantum praesentes; syndicus vero constituitur generaliter ad omnes causas tractandas, tam praesentes quam futuras; Glossa, in cit. l. *Neque societas* 1, verb. *Syndicum*, ff. *Quod cujuscunque universitatis*, etc., et citati doctores. Quamvis etiam actor universitatis quandoque pro syndico sumatur, et econtra, ut patet ex cit. l. *Neque societas*, § 1, ibi: « Actorem sive syndicum. »

(5. Syndicus proprie captus differt etiam ab administratore seu oeconomo, quia hic praecipue in administratione pecuniae aliorumque negotiorum extrajudicialium; syndicus vero potissimum in litibus prosequendis versatur. Engel, *loc. cit.*, n. 2; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 3; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 1, et alii.

(6. Ad constituendum syndicum omnes de communitate, seu collegio vel capitulo, qui jus suffragii habent, citandi seu convocandi sunt, quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, textu expresso in cap. *Ad haec* 7, De offic. archidiaconi, ibi: « Cum ab omnibus, quod omnes tangit, approbari debeat; » si autem aliqui vocati nolint intervenire, aut recedant, possunt praesentes eum constituere; dummodo duae partes ex tribus de communitate, collegio seu capitulo eorum, qui volunt, possunt ac debent interesse, sint praesentes, et major pars praesentium consentiat. Leg. *Nulli* 3, juncta Glossa, verb. *Duae partes*, ff. *Quod cujuscunque universitatis*; et ibi Bartolus, n. 8, l. *Quod major* 19, ff. *Ad municip.*; Hostiens., in *Summa de syndico*, n. 10; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 2, et alii passim.

(7. Quamvis consultius sit, ut religiosi pro causis sui monasterii non sint ipsi syndici, sed potius aliquem extraneum procuratorem generalem seu syndicum constituent, cui causas in judicio tractandas demandent, assignato ipsi convenienti salario, ut disponitur in citat. cap. *Sicut studii* unic., De syndico, cum, ut ibi dicitur, praestet ut servi Dei modicum aliquid expendant in salarium syndici, quam ut ipsi fo-

rensi causarum strepitu involvantur, ibi: « Expediit pro parvo incommodo a strepitu causarum servos Dei esse quietos. » (8. Nihilominus loquendo de necessitate, non possunt religiosi compelli ad constituendum syndicum extraneum, sed exigente sui monasterii utilitate, v. gr. si monasterium sit inops, ut extraneo syndico salariam dare non possit, aut si alius idoneus, et fidelis vir haberi nequeat, potest religiosus in causis sui monasterii syndicus constitui, Arg. cap. *Monachi* 16, qu. 1, cap. *Insuper* 16, De testibus, et cap. *Cum deputatis* 16, De Judic. Et sic notant Abbas in c. cap. *Sicut studii*, n. 4; Layman, *ibid.*, n. 1; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 16; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 6, et alii.

(9. Pro ordine FF. Minorum plures Summi Pontifices concesserunt, ut unusquisque conventus unum syndicum, seu procuratorem Apostolicum extra religionem habere posset, qui nomine Romanae Sedis elemosynas Fratrum Minoribus a fidelibus elargitas, recipiat et administret, eorum providendo necessitatibus. Sic concessit Martinus IV, const. incip. *Exsultantes in Domino*, qua concessione licite utuntur, non obstante quod id prohibuerit Joan. XXII; Extravag. *Ad conditorem*, De verbor. signific. Nam prohibitio fuit modificata, nisi de speciali Sedis Apostolicae licentia, quae subinde emanavit a Martino V, const. incip. *Amabiles fructus*, et a Paulo IV, constitut. incip. *Clementi*, in qua Paulus litteras concessivas praedecessorum confirmavit et innovavit, dictamque facultatem iterum expresse concessit; insuper declarando, quod id non sit dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis provisos pro puriori illius observantia, ut et declaravit novissime etiam Innocentius XI, constit. incip. *Sollicitudo pastoralis officii* confirmata ab Innocentio XII, constitut. incip. *Alias*.

(10. Concesserant prius Nicolaus III, in cap. *Exiit qui seminat* 3, De verbor. signific. in 6, et Clemens V, in cap. *Exiit de paradiso* 1, inter Clementinas, De verbor. significat., quod Fratres Minores pro pura sua Regulae observantia possent in suis indigentis et necessitatibus recurrere ad amicos seu benefactores spirituales, qui vel per se immediate vel per alias personas substitutas ac depositarias, sibi benevolas aut etiam sibi a praedictis Fratribus nominatas, seu praesentatas, pecunia aliisque rebus necessariis ipsis succurrerent, remanente tamen (si secus non expresserint aut declaraverint) apud ipsos donantes benefactores pecuniae, donec fuerit expensa, dominio; vel ipso in Sedem Apostolicam assumpto, si donantes aut legantes intelligerentur omnimode a se illud abdicasse, seu e vivis decessisse; et in tali casu possunt Fratres ad personam deputatam seu substitutam, aut depositariam (non obstante concedentis, seu donantis morte, vel haereditis contradictione) pro ipsa pecunia expendenda recurrere, sicut poterant ad ipsum dominum concedentem, seu donantem. (11. Cum

autem advertissent et experimento didicissent Fratres, sibi grave, onerosum molestumve esse ad plures personas, pro diversitate benefactorum recurrere, sibi que facilius commodiusque esse informare unam, quam plures, de modo debito expendendi pecunias in suas necessitates, ac indigentias, de qualitate necessitatum, aliisque conducentibus ad puram Regulae observantiam, pro securitate ac serenitate conscientiae, et ad removendos scrupulos, recursum habuerunt ad Sedem Apostolicam sub Martino IV et V, ac Paulo IV, qui per suas peculiare supra allegatas constitutiones concesserunt, ut ad id unusquisque conventus unum syndicum seu procuratorem Apostolicum extra religionem tute habere posset. (12. Qui syndici seu procuratores in omnibus parificantur cum substitutis dantium seu donantium: sicut enim donantes ex concessione Nicolai III et Clementis V, dum nolunt per seipsos pecunias in necessitates Fratrum expendere, possunt substitutos nominare, qui eorum vice et nomine id agant; et si nolint ipsi eos nominare, possunt tales substituti ipsis praesentari et nominari a Fratribus, talesque sic nominati substituti auctoritate donantium tenentur modo Fratribus licite pecunias expendere; ita etiam syndici seu procuratores Apostolici ex concessione et declaratione Martini IV et V, ac Pauli IV per superiores Fratrum electi ac nominati, tanquam substituti Papae nolentis, seu non potentis per seipsum expendere et administrare, de ejusdem nomine et auctoritate possunt, ac debent modis ordini congruis, Fratribusque licitis pecunias administrare. Tum quia syndici Apostolici duplicem gerunt personam, id est *substitutorum* donantium quoad pecunias, quorum dominium dantes seu donantes sibi reservassent; et *substitutorum* Papae quoad pecunias, quae sunt de dominio Papae (cum illud dantes seu donantes a se ablegasse censeantur). Hinc sicut substituti donantium nihil Regulae puritati praedictant ex declarationibus Nicolai III et Clementis V, ita a pari nihil Regulae puritati officiant syndici Apostolici ex declarationibus Martini IV et Innoc. XI, constit. incip. *Sollicitudo pastoralis officii*, § 1, ubi sic expresso habet: « Declarantes tamen pariter, quod per praemissa non prohibentur in dicto ordine syndici Apostolici; cum eorum usus non sit dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris provisos pro puriori illius conservatione; sive ejusmodi syndici assumantur ad praescriptum constitut. Nicolai III et Clementis V, praedecessorum praedictorum, sive secundum dispositionem constitutionum recol. memor. Martini IV et V, ac Pauli IV, praedecessorum pariter nostrorum, prout illorum usus in singulis familiis, congregationibus, reformationibus aut provinciis ordinis praedicti respective fuerit receptus. »

(13. Ex quibus clare et expresse constat quod syndicorum seu procuratorum Apo-

stolicorum usus sit omnimode licitus Fratribus Minoribus, nec sit dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus provisos pro puriori illius observantia, sive ejusmodi syndici assumantur ad praescriptum constitutionum Nicolai III et Clementis V, sive secundum dispositionem Constitutionum Martini IV et V, ac Pauli IV, prout illorum usus in singulis familiis, congregationibus, reformationibus aut provinciis ordinis Fratrum Minorum respective fuerit receptus ex supra allata litterali declaratione Innocentii XI. Et quod dispositio Martiniana et Paulina nominandi et deputandi syndicos non sit in re contraria declarationibus Nicolai III et Clementis V.

(14. Modus tamen utendi syndico Apostolico assumpto ad praescriptum Martinianae et Paulinae videtur facilius, commodior et tutior pro unoquoque conventu. Imo Portellus, *Dub. Regul.*, verb. *Syndicus* n. 4, et Matthaeus, *Schola paupertatis*, tit. 4, cons. 1, n. 44, volunt quod conventus non habens hujusmodi syndicum, ponat se in periculo transgrediendi Regulam, cum, ut dicunt ipsi, vix inveniendus sit conventus quantumcunque reformatus, qui tali syndico non indigeat ad recipiendas ac retinendas nomine Sedis Apostolicae pecunias adventitias, oblatas ac traditas, praesertim ab advenis, transeuntibus, in longinqua abeuntibus, pro Fratrum necessitatibus subveniendis. Quod non tam facile aut tute semper fieri potest per amicos spirituales, qui velint per seipsos, vel alios deputatos, seu substitutos suas pecunias in Fratrum necessitates expendere; ultraquam quod cum nimis incommodis, ac periculis, tot deberent esse substituti, quot essent donantes; quotidiana enim experientia magistra similes amici spirituales ac benefactores, alique elemosynas pro missis, aliasque adventitias Fratribus offerentes atque donantes rogati, vel quod ipsi eas in Fratrum indigentias expendant, vel quod id alteri personae committant, respondere solent. *Habetis syndicum, mittat ad syndicum, nec possum, nec volo ulteriorem curam suscipere*. Imo plures ac plures praesentibus a conventibus distantes, advenae et peregrini, ac alii aliud nolentes incommodum, solent sine ulla intentione retinendi in se dominium, mittere ad conventus pecuniarias, aliasque elemosynas, quae certo sine tali syndico non possent tute recipi, retineri et expendi; cum ad id per tales dantes non censeatur nominata et substituta alia persona, nec ipsis per Fratres praesentata aut nominata, nec alia in tali casu reperitur auctoritate Pontificis nominata et deputata, quae tute possit ipsas pecunias recipere, retinere et expendere in Fratrum necessitates contra dispositionem ac declarationem respective tum Nicolai III et Clem. V, tum Martini IV et V, ac Pauli IV.

(15. Syndici Apostolici deputantur pro toto ordine generali, pro provinciis, et custodiis, ac conventibus sibi subjectis a provincialibus, et respective custodibus, vel

etiam a guardianis de expressa praelatorum licentia juxta dispositionem Pauli IV, in d. const. incip. *Ex Clementi*, ut recte notat Matthæus., *Schola paupertatis*, tit. 4, cons. 1, n. 1, et *Official. curiæ*, cap. 61, n. 1.

(16. Qui insuper addit quod etiam procurator et commissarius generalis Romanæ Curie possunt syndicos pro ipsorum respective officio constituere, ut probat Sanctorus, *Comment.*, c. 8, statut. 37 in fine. Et ad id cap. 4, statut. 4 in princip. refert concessionem Eugenii IV, Kalend. Maii 1432, ibi: « Quod possint etiam facere provinciales in provinciis et procuratores ordinis in Romana Curia. »

(17. Non possunt tamen dictis superioribus deputari plures syndici, sed unus dantaxat pro unoquoque conventu; colligitur ex infra afferenda constitutione Clementis VII, incip. *Dum consideramus*, in qua *uni tantum syndico* conventus quædam privilegia conceduntur. Et ex infra etiam afferendis litteris Innocentii XI incip. *Alias*, in quibus ipse Pontifex decreta sacre congregationis memorata privilegia concernentia confirmat, habetur: « Ut unicuique conventui dicti ordinis assignetur unus procurator sive syndicus Apostolicus, qui omnes eleemosynas (nota ly *omnes* poni adversative ad alium, qui aliquas recipiat) tam pecuniarias, quam aliarum rerum colligere, illasque solus (nota ly *solus* poni exclusive, seu privative ad alios) in necessitate Fratrum applicare debeat. » De qua re nefas est dubitare, ut expresse eruditissimus Matthæus., in *Schola paupertatis*, tit. 4, consil. 2, n. 5, cum omnia decreta Apostolica uniformiter procedant, et pro unico semper disponant et supponant, ut patet in decretis approbatis et confirmatis in dict. constitutione Innocent. XI, et in aliis editis a congregatione particulari ab Urbano VIII præpositæ consultationibus Fratrum Minorum de observantia, et a nobis allatis sub verb. *LEGATUM*. Ac in provisione Apostolica Martini V in constitutionibus et declarationibus suis a S. Joanne de Capistrano ad annum 1430, impetratis sic expresse habetur. « Quoad quartum capitulum Regulæ, quod Fratres non recipiant pecuniam, statuimus et ordinamus juxta declarationem Nicolai III et Clementis V, et Martini IV, quod quilibet conventus, et locus habeat procuratorem, œconomum, syndicum et actorem, cui omnis eleemosyna pecuniaria, et alia, quæ ad pecuniam reduci possunt, integraliter assignentur; qui easdem dispensare legaliter et fideliter pro reparatione conventuum et locorum et ad alias necessitates pro tempore occurrentes debent, sic quod Fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant. » Hæc Martinus V, ut refert doctissimus P. Petrus Marchant., in *Relatione theologica*, difficultat. 3, § *Provisio Apostolica Martini V*. Et sic in statutis generalibus in compilatione Sambucana cap. 4, § 1, n. 4, ubi sic præscribitur: « Ut quilibet conventus habeat syndicum, et procuratorem, ac etiam substitutum, si opus fuerit, et non alios. » Nota syndicum in singulari, et ly *non alios*.

Quocirca recte infert Matthæus., in *Schola paupertatis*, tit. 4, consil. 2, n. 5 in fine, non est recipienda doctrina Cordubæ in cap. 4 *Regulæ* qu. 16, vers. *Tertio notandum*, ubi tradit plures syndicos posse esse pro uno conventu, ad effectum recipiendi eleemosynas pecuniarias, licet duo tantum privilegiis fruere: cum enim adversus ipsum stent jura superius allegata; non est ejus opinio in praxim deducenda, ne quis velit in Regulam offendere, et pro syndico uti persona interposita. Hæc ille.

(18. Qui tamen, *loc. cit.*, tit. 4, cons. 3, n. 26 et sequent. recte probat quod potest nominari et deputari, unus etiam syndicus pro quocunque hospitio habente suum præsidem et religiosos ibi degentes, et unus a superiore generali pro religione, et a provinciali pro provincia, qui gaudeat omnibus privilegiis, quibus gaudet syndicus ejusque conventus: accedente ad id etiam inveterata praxi et consuetudine, quæ est optima legum interpret. Cap. *Cum dilectus* 8, De consuetudine, et l. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*. Quod idem dicendum videtur de infirmariis, quæ reguntur diverso ac distincto regimine ab illo conventu: cum, ubi eadem est ratio, eadem debeat esse juris dispositio. L. *Ideo* 27, ff. *De legibus*, l. *Illud* 32, ff. *ad leg. Aquil.*, cap. *Inter corporalia* 2, De translat. episcop.

(19. Non possunt autem dicti superiores deputare alios syndicos pro religiosis particularibus, ut colligitur ex constitut. Urbani VIII, incip. *Militantis*, et constit. Innocent. XI, incip. *Exponi Nobis*, ubi statuitur quamcunque eleemosynarum oblationem ipsis Fratribus factam, etiam ratione concionum, « Syndicis conventuum dantaxat libere et integre transmittendam et consignandam fore. » (20. Imo Fratres privati neque de licentia superioris possunt habere apud syndicum conventus pecunias a massa communi separatas; sicut enim nec pro se potest superior apud syndicum denarios habere nomine et auctoritate sua expendendos; alias censeretur reus proprietatis, utpote disponens de re non sua, ac si sui juris esset, ita nec potest id subdito concedere, sive agatur de pecunia, quæ obvenit Fratri titulo concionis, vel etiam ratione donationis aut mercedis oblatæ; nam quovis titulo non est Frater, nec sub dominio superioris, sed Pontificis juxta citatas constitutiones Martini IV et V, ac Pauli IV, ideoque neque est in potestate superioris disponere, ut a syndico ab alia sequestrata retineatur in commodum Fratris particularis ad ejus occurrentes necessitates relevandas, alias de alieno disponderet, et particeps, vel causa esset proprietatis, qua Frater contra regulam delinqueret. Sic expresse Matthæus., in cit. *Schola paupertatis*, tit. 2, consil. 3, n. 45. Quinimo Innocent. XI, constit. incip. *Sollicitudo pastoralis officii* confirmata ab Innocent. XII constitut. incip. *Alias*, sic expresse statuit: « Demum, ut omnis occasio transgrediendi præceptum de non contrectandis denariis seu pecuniis

auferatur, omnibus et singulis dicti ordinis praelatis sive superioribus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna privationis suorum officiorum injungimus, ut nulli religioso ejusdem ordinis permittant administrationem fundorum, reddituum, aut quarumcunque aliarum rerum, et bonorum mobilium vel immobilium, cujuscunque domini illa sint, et signanter ut nulli religiosorum ordinis hujusmodi permittatur administratio bonorum temporalium alicujus monasterii monialium sub quovis prætextu, aut nomine, nempe administratoris, syndici, factoris, coloni, superintendentis, villici, aut alio quovis imaginabili. »

(21. Insuper d. P. Matthæus. in citat. *Schola paupertatis*, tit. 2, consil. 3, sub n. 45, proposito hoc dubio: « Quid, si quis sibi reservato dominio, sponte deponat apud syndicum, non velut syndicum, sed tantquam suum substitutum, vel depositarium summam pecuniæ expendendam in necessitates talis Fratris, eique significet: Tradidi syndico centum aureos, ut illis tuis necessitatibus provideas? Respondet quod in casu talis Frater non potest consentire in depositum, et debet protestari ac informare syndicum se non posse in pecunias depositas consentire, ad quas sic depositas recurrere nequit, nisi posita vera necessitate, et accedente licentia superioris: » Hæc ille.

(22. Posita tamen vera necessitate et negligentia superioris in ministrando necessaria, potest Frater subditus, nedam in tale depositum sponte oblatum et factum consentire, sed sine peccato suis indigentis providere per recursum ad amicos spirituales, dummodo servet modificationes per declarationes Pontificias in citat. constitutionibus præfinitas; necessitas enim non habet legem; cap. *Sicut* 11, De consecrat., dist. 1, cap. *Consilium* 2, De observation. jejuniar., capit. *Omnes* 1, De fer., capit. *Consulisti* 3, De celebrat. missar., et citato capit. *Exiit* 3, De verborum significat. in 6, quia, ut expresse habetur in capit. *Quod non est licitum* 3, De regul. juris: « Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum; » cavere tamen debet subditus, ne proprium commodum pro necessitate sumat et judicet; nec facile sibi ipsi credere debet, cum regulariter quis in re propria soleat cæcutire; unde superiorum aliorumque prudentum expertorum judicium et consilium exquirere debet; quinimo nunquam recurrere debet ad amicos spirituales, ut isti suis necessitatibus pecunia provideant, nisi prius requisita explicita superiorum licentia, quamvis possit in aliquo casu sufficere tacita et præsumpta.

(23. Quænam autem sint dictæ Pontificiæ modificationes observandæ, et pro quibus necessitatibus possit a Fratribus Minoribus haberi recursus pro pecunia ad amicos spirituales, brevitatis gratia, utpote extra titulum, videndæ relinquuntur in citatis decretalibus Nicolai III et Clementis V, et in allegatis constitutionibus et declarationibus Martini IV et V, ac Pauli IV, a religione

acceptatis et novissime ab Innoc. XI confirmatis; et abunde apud Regulæ expositores, et signanter apud Marchant. in *Expositione* c. 4, et in *Relectione theologica* per tot., et Matthæus., in *Schola paupertatis*, tit. 2, cons. 3 et 4, et tit. 4 per tot., ac Felix Potest., tom. I, part. II, a num. 1149, ubi a n. 1161, duos tradit modos, quibus Fratres uti possunt in suis subveniendis necessitatibus cum omnimoda observantia paupertatis a S. P. Francisco præceptæ. Vide omnino, et serva.

(24. Bona syndici sunt tacite hypothecata pro securitate eleemosynarum: unde ex bonis ex-syndici debet damnum reparari, si ipse indebite ac injuste administraverit, ne pia benefactorum destituatur intentio, et ipsi Fratres opportunis auxiliis fraudentur, textu expresso in citat. cap. *Exiit* 3, § *Ad hæc quia*, De verbor. significat. in 6; Matthæus., *loc. cit.*, tit. 4, cons. 4, n. 16: et alii passim; (25. sicque novus syndicus instare debet pro recuperatione pecuniæ, habetque actionem contra ex-syndicum, et ejus hæredes; Matthæus., *loc. cit.*, tit. 4, cons. 4, n. 7 et 13, et tit. 5, cons. 3, n. 6 et 26, ubi refert ad id causas sic Romæ decisas. Cum enim eleemosynæ non conferantur syndico, ut eas suo arbitrio ludis ac negotiationibus exponat vel alias dissipet, sed taxative pro solis Fratrum necessitatibus; sibi imputari debet, si ex propriis supplere teneatur, quæ in alios usus illicite et male consumpsit contra donantiam intentionem et mentem Pontificis, sciens in Clementina: *Quia contingit* 2, De religiosis domibus, expresse esse statutum; « quod ea quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva Sedis apostolicæ auctoritate) converti; » (26. et ob id syndicus conveniri debet coram iudice conservatore ex infra afferenda constitutione Clementis VII incipient. *Cum consideramus*, § 2. Et ex-syndicus, si sit laicus, conveniri potest etiam coram iudice laico, et si sit ecclesiasticus conveniri debet coram iudice ecclesiastico, c. *Si quis clericus* 1, et c. *Nullus* 2, De foro competentis, cum similibus; et etiam conveniri potest coram iudice ecclesiastico ex-syndicus laicus, si iudex laicus fuerit negligens in administrando syndico debitam de jure justitiam, c. *Licet* 10, et c. *Ex tenore* 11, De foro competentis, Matthæus., *loc. cit.*, tit. 4, consil. 4, n. 3, et tit. 4, consil. 4, n. 23 et 24, et alii passim.

(27. Syndicus apostolicus debet admitti in concursu creditorum adversus ex-syndicum decoctum vel ejus hæredes, et sic etiam adversus substitutos dantium seu donantium, et alios veros debitores. Cum enim pecuniæ pro necessitatibus Fratrum syndico seu substituto consignatæ sint sub dominio Papæ, et syndicus Apostolicus a Fratribus nominatus, sit ipsius Papæ minister, œconomus, et procurator, debet cum cæteris creditoribus in concursu admitti, ut judicialem petitionem intentet, et hac forma pecunias male ab infideli administratore